

ctus est, ibique sepultus, Anno salutis DCCCCLXXXIII. regni  
XXXVII. Imperii XIII.

In hoc cernitur Numismate mulier stolata, nudo pectore, sinistra  
hastam, dextram eleuatam habens, cum inscriptione: A E T E R N I T A S.

**EDITHA** Eduardi Anglorum regis filia, Othonis Magni pri-  
ma vxor, foemina sanctissima, ex qua Otho Luitolphum, & Guliel-  
mum, Moguntinum Episcopum tulit. Ac cum Luitolphus XVI. an-  
num ageret, mortua est, & Magdeburgi sepulta.

**ADALHEIDIS** altera Othonis Magni vxor, Rodulphi Burgun-  
dionum Regis, & Berthae filia. Ex qua progenuit Henricum, Bruno-  
nem, & Othonem Imperii successorem.



**ROMANVS IVNIOR** filius Constantini &  
Helenae, filiae Romani Lacopeni, vir omnium ignauissimus, luxu  
otioque perditus, Imperium post patrem administrandum suscepit:  
quod tamen alieno arbitrio rexit, ingenio aliòquin non malo, sed  
interdum solerti, vbi animum adiecisset. Foris aduersus Sarracenos  
Crotam occupantes, ductu Nicephori, & aduersus Turcas Asiam  
vastantes eiusdem Nicephori & Leonis fratris Imperio felix, Domi-  
in matrem & sorores impius: eas enim regia eiectas in Cænobium  
relegauit. Quae ob dolorem priuati regii vestitus, meretricium qua-  
stum sunt amplexae. Ipse ludis, crapulae, Veneri intentus, cum carnis  
illecebris corpus extenuasset, mortem obiit, anno Imperii XIII.

Altera facies huius Numismatis refert Victoriam dextra coro-  
nam.